

Petrus de Vinea

*Ep. III 10 (Noster instanter,
quem in subditorum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 10 (Noster instanter,
quem in subditorum...)*

giugno 1253?

Magistro Petro de Hibernia, de Studio Neapolitano.

1. Noster instanter, quem in subditorum nostrorum semper emolumenta dirigimus, sollicitatur affectus, qualiter regni nostri Syciliae preclara possessio, sicut rerum ubertate uictualium ad dispensationem diuini nominis natura profluente tripudiat, sic, ad nostrae prouisionis edictum, uirorum perfectione scientium, fortuna fauente, ualeat fecundari. 2. Ad quod, etsi progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas inuitet exemplo, dum diuersarum scientiarum doctores dudum in Regno comperimus et multos artium beneficio liberalium munimentis prouectos ad ardua, quos innata ruditas honoris et gloriae reddidisset indignos, sic nos super hiis et priorum tempora reuiuiscere uolumus, ut quae per interualla quantalibet quassata uidentur, iam passa desidiam sub iuuentutis nostrae primordiis seniliter iuuenescant, ac dum fideles nostri regnicolae paratam sibi mensam propositionis inspexerint, non solum superuacuum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, sed gloriosum extiment externos alios ad gratitudinis huiusmodi participium euocare. 3. Cumque ciuitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem et domum Studii, tam marinae uicinitatis habilitas, quam terrenae fertilitatis fecunditas reddant utiliter tanto negotio congruentem, generale Studium in ciuitate ipsa mandauimus reformari, ut, quam localis amenitas plenitudine rerum gratificat, docentibus et addiscentibus undique collecta commoditas efficiat generosam. 4. Te igitur, quem antiquae fidei prescripta sinceritas et prestita dudum felicitis memoriae domino patri nostro grata seruitia nobis efficaciter recommendant, de cuius etiam experta scientia, probitate cognita et doctrina probata

in conspectu nostro iam pluries multorum testimonia claruerunt, ad celebranda communis eiusdem festiua sollempnia hylariter prouidimus inuitandum, fidelitati tuae precipiendo mandantes quatenus, de fauore et gratia nostra securus, ad ciuitatem ipsam ob reuerentiam nostrae maiestatis personaliter recturus accedas. 5. Et, ut certam concipias de gratiae nostrae liberalitate fiduciam, firmiter tenere te uolumus, quod in aduentu tuo, in signum fecundioris auspicii, de ualore annuo duodecim unciae auri tibi faciet nostra munificentia prouideri.